



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici  
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||  
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam  
Decani**

**Krantz, Albert**

**Coloniae, 1574**

Capvt XXIIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11453**

memoratos, quod Abelis filios in ducatu Slesuicensi  
tuerentur.

## CAPVT XXIIII.

**H**ic Iohannes, cum ad arma strenuus, ad omnem  
humanitatis gratiam modestus, comiter se sem-  
per aduersus ciues Lubicenses gereret, plurimum fa-  
miliaritatis cum illis inibat, nonnunquam laxandi ani-  
mi gratia ciuitatem ingressus. Cum autem aliquando  
eius rei gratia intrasset, vidit in conspectu suo quendam  
militaris generis Burchardum Boet, quem pridem ob  
demerita sua expulisset Holsatia. Is cum in oculis comi-  
tis pertinaciter obambulans versaretur, quasi exprobra-  
ret impunitatem suam, & illuderet potentia nihil au-  
dientis in ciuitate, non tulit comes temeritatem insultan-  
tis. Ira concitus, arrepto gladio, sequitur fugientem: quem  
ubi cursu non deprehendit, gladium teli more vibravit  
in tergum fugientis, confoditq; morientem. Ciues & si  
amicissimo essent in comitem animo, arbitrati tamen sua  
ciuitatis iuribus non mediocriter derogasse comitem, in-  
sequuti fugientem, tenere conabantur. Ille vulgi iram  
declinans, cum ad manum stratum non haberet iumen-  
tum, paucis suorum insequentibus, vrbis portas pedes pe-  
tiuit: Inde obsistentibus auersus ciuibus, ecclesia maioris  
turrim, quam patentem reperit, ingreditur: contenti,  
non aufugisse comitem, seruauere circumsistentes. Ille  
se manibus proconsulum permisit, pollicitus iturum quod  
vellent: Illi orant, vt placanda multitudinis gratia, pra-  
torium cum illis adeat: Ibi instituta pro tempore man-  
sione, & quietis locum ostenderant, & paucorum die-  
rum patientiam orabant, donec ira vulgi deferuescat.  
Deferbuit indies motus ciuium, & caepa est haberi cu-  
stodia negligentior, ex sententia maioru: Ipso meridie,  
cum



cum omnium fores prandentium clauderentur, adduxere comitis ministri stratum iumentum, de quo fenestra submissum comitem, in eo collocantes, propere abierunt. nemine insequente: cum gauderent urbis praesides, comitem in sua redisse incolumem: quod ad ciuitatis honorem pertinere videretur, postea cum illo ex tempore transacturi. Sed tamen irrogatam sibi vim, diu memoria reimens, obseruauit tempora, si quando parem gratiam populo referret.

## CAPVT XXV.

**N**on erat longum tempus in medio, cum rex Dania Christophorus Ericum Abelis filium Slesuico exturbare conatus, ingentem in ipsum produxit exercitum. Comites Holsatia nepoti ex sorore suppetias latu-ri, quanta poterant arma contraxere, & Eydoram litem transgressi, copias suas iungunt memorati ducis exercitui: mouente sive in vltiora, regem habuere obuium cum expedito agmine, in loco, qui dicitur Lohede: ibique collatis viribus & armis, Mars diu communis erat: Casti multi, capti nonnulli: sed tandem victoria Holsatis inclinabat. Captus rex Christophorus perducitur Hamburgum: ibique fida custodia asseruatur: Qui fugam inire poterant, ceteris videbantur fortunatiores. Iohannes autem comes, priusquam copia, quas ducebat, diuiderentur in sua quique, orabat, vt iniuriam suam in Lubicenses vindicaturi, arma secum verterent in illos: nec multis erat opus precibus. Id enim hominum genus, vbi gregatum est, facile ad praedam & incendia inuitatur. Duxit ergo in praedia ciuium & propinqua urbis, gladio & igne sauiens, nec paruam praedam abducens. Lubicenses tunc, tum excursionem fatere non ausi, patienter